



PRODROMVS METHODI  
**S V R D O S**  
 NATIVITATE<sup>A</sup>  
 FACIENDI AVDIENTES  
 ET LOQVENTES

QVEM  
**DVCE DEO**  
 CONSENSV ET AVCTORITATE  
 GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM  
 IN ALMA ET PERANTIQA HIERANA  
**PRÓ GRADV DOCTORIS**  
**AC PRIVILEGIIS IN ARTE MEDICA**  
 LEGITIME IMPETRANDIS  
 DISSERTATIONIS IN AVGVRALIS LOCO  
 SISTIT AC PVBLICE DEFENDET  
 D. XXIII. OCTOBR. A. M DCC XXXXIX.  
**JOANNES PAVLVS BAVMER**  
 ABBATISWINDA - FRANCVS.

---

ERFORDIAE  
 TYPIS JOANNIS CHRISTOPHORI HERINGII  
 ACAD. TYPOGR.

THIS JOANNIS CHRYSOSTOMI HERINONI

BOOK. LXXXV.

PERGAMEN.

AB INITIO.

JOANNES PAULUS BAUMER.

DISSESTATIONIS IN AGRICULTURIS LOGO.

SCITIS AC PRACTICE DILEXANTIS.

AC TITULIS CULTORUM Vnde ETIACUM.

AC TRIALLEGIS IN ARTE MEDICI.

EDITIONIS IMPERIALE.

PRO GRADA DOCTORIS

CIVITATIS ORDINIS MEDICOVM

CONSERVATORI ET ACADEMIA HISTORICA

DUCIBVS DEO.

GRATIAS.

NATIVITATE  
FACIENDI AUDIENS

ET FOCVENTES

GRATIAS.

PROGESSUS METHODI

VARDO



## PRÆFATIO.

**D**ubito, B. L. quem magis miserum judicem, cæcum, an surdum a nativitate? rem quidem paulo accuratius si perpendis, priorem prædicabis feliciorem; nam, ut cæteris omissis, duo tantum afferam argumen-ta: cæcus 1) magis ad hominem est; 2) Cognitionem de Deo æque ac aliis fere sibi æquirere potest; quibus vero surdus a nativitate pene destituitur. Considero hic surdum quatenus loquela caret. Aequum itaque, de ratione cogitare, qua surdi tales linquam addiscere possint. AMMANN in Diff. surdus lo-

A 2 quens;

quens; rem cum effectu tentavit in propria filia; paucis Methodum ipsius enarrabo, qui fusius eam scire cupit, ipsum adeat. Filiæ valde acutæ misertum est laudatum virum, ut itaque illi succurrat, juiebat observare tractus oris ac motus linguae oculis, & motus varios gutturus tactu, dum huic digitos imponeret, atque ut similes motus produceret, proprio quoque gutteri digitos imposuit. Conf. THVM-MIG im Versuch gründlicher Erläuterung der merckwürdigsten Begebenheiten in der Natur; von der Kunst die Taub und Stummen reden zu lernen, in primis §. 2. sed quam difficilis sit hic modus, nemo non perspicit, & in dubio telinquo, an practicabilis; nam fuit 1) propria filia, 2) Ammanni 3) acuta. Experientia sententiæ meæ robur affert. Ego aliam methodum longe faciliorem ac magis jucundam quamque homo obesus homini obeso, sine multis sumtibus, facili docebit negotio, erui ex comparatione modi auditus ac legis propagationis sonus, cum substantia dentium, maxillarum, ossium petroforum ac auris internæ strutura. Occasionem meditandi mihi dedit vul-

vulgare experimentum, lippis ac tonsoribus  
notum, scilicet quod furca extremis bifurcatis  
percussa, alteraque extremitate, qua compre-  
henditur, dentibus admota; eleganter ipsius so-  
num percipimus. Scripsi itaque hunc prodro-  
mum dissertationis inauguralis loco. Est quasi  
jamjam ipsa methodus, & methodus promissa  
facillimam tantum, experimentis mihi eruen-  
dam, & quidem paulo fusius pertractandam,  
Divina Clementia mihi largiente vita, sistet.  
Vale interim, b. L. meisque conatibus fave!

## §. I.

**S**onus & tonus propagantur per corpora trementia,  
per exper. phys.

## §. II.

Hanc propagationem impediunt corpora mollia,  
non elastica, per rationem oppos.

## §. III.

Dentes, Maxillæ, ossa petrosa, sunt corpora dura  
admodum ac trementia, per exper. Anat.

## §. IV.

Auris interna constat ex cavernis ac mæandris du-  
ris, ossibus, cum ossibus petrosis, maxillis ac dentibus  
continuum constituentibus, per Anat.

A 3

SCHOL.

SCHOL. Tenuer intermedium ac tensum hic non  
attenditur.

## §. V.

Per totam aurem internam §. IV. distribuitur  
nervus acusticus, per princ. Anat.

## §. VI.

Stylus (ein Stänglein) paretur ex corpore tremente,  
vitro, chalybe, cupro, metallo mixto, quo utuntur ad  
campanas fundendas, argento, utraque extremitate de-  
pressa, ne labia præter necessitatem ipsis applicata tre-  
morem ac sonus propagationem impediatur §. 2. sur-  
dus a nativitate alteram extremitatem inter dentes te-  
neat, ac alteram ipsum educturus; uterque caveat, ne  
labia vel linguam stylo admoveat; & sonus atque to-  
num propagetur ad aurem usque internam per §. I. 3.  
4. ad nervum usque auditorium §. 5. consequenter &  
ad cerebrum, per princip. Physiolog. Ergo surdus no-  
stus percipiet sonum ac tonum, per princ. Psychol.

SCHOL. 1.) In plerisque surdis vitium hæret in au-  
re magis externa, membrana tympani puta, ossi-  
culis auditus ac meatu auditorio, nervo illæso,  
per exper. conf. infra Schol. §. XIII.

SCHOL. 2.) Cum rationibus datis §. 6. Consentit  
experientia: Quam primum enim applicationem  
ad surdos meos feci; sollicitus fui, an & experien-  
tia cum ratione consentiat? quæsivi iterum ite-  
rumque, ac tandem reperi ibi locorum, ubi tunc  
tem-

temporis commorabar surdam a nativitate 24.  
annorum, sic satis acutam. (Nomen? prætero id  
silentio, sic volente hujus pueræ parente.) Ipse  
cum ipsa experimentum non institui, quoniam  
paulo rubicundior mihi visa, & ego plane igno-  
tus in domo illa fui, nemine mihi parante accessu,  
sed frater illius me absente; postea tamen me  
præsente omnia sunt iterata, ac hisce oculis meis  
vidi propriisque auribus imitatem audivi cum  
ineffabili voluptate. Cum ad manus non esset  
stylus ex materia, §. VI. requisita, paratus, & mihi  
afferebant frustum laminæ instrumenti, quo ar-  
tem gladiatoriam exercent, (ein Stück von einer  
Kapier-Klinge) ulnam circiter longitudine æquans  
jussi interea rem eo tentare; & cum magno meo  
gaudio res ex sententia successit, quamvis præter  
spem, quia ferrum multo ineptius ad propagan-  
dum sonum; per princ. phys. & licet fuerit indu-  
ratum, (Stähler) tamen multa ferrugine fuit  
obductum, toni prolationem impediente, §. 2.  
Statim enim sonum perceperit, ac digitis cum risu  
locum perceptionis, partem puta capitis superio-  
rem ac posteriorem, ostendebat, (num hinc con-  
cludere licet, ubi sedes sit auditus?) monstrans  
simil aurem externam eum non esse; & quoniam  
frater in paulo tenebrisiori stabat loco; ipsum  
manu ad lucem ducebatur, ibique observabat mo-  
tus oris ac linguae, ac statim imitata est sonus acu-  
tos & graves, (hohe und tiefe) Vocales & Conso-  
nantes, quin ipsum B. & R. licet ultimum paulo  
confu-

cofusus pronunciaverit, nec mirum, quia fuit initium. Componebat quoque litteras, ut ba, ab, itemque alios sonus irregulares imitata est ut lalala &c. remoto stylo ab ore, attamen repetit, quæ antea per stylum audiverat, admonita ab astantibus. Plura ob loci commutationem tentare non potui.

Not. Ad addiscendam linguam non necessario requiritur observatio motuum oris ac linguae, testantibus id infantibus; ergo & surdus a nativitate, si sit cæcus, qui quidem omnium hominum esset miserrimus, tamen adscire potest loqulam. Ergo methodus hæc est universalior Ammaniana, certe hoc respectu.

SCHOL. III.) Num per perticam tenuem longioremque eamque trementem, corporibus trementibus suffultam, ad notabilem usque distantiam cum alio loqui poteris, ut hæc si tuba stentor. longe perfectissima? num vero & intermedius tertius huic perticæ stylum applicans inter dentes detentum, intelliget, quæ dices, ac cum multum tremoris intercipiat, alter nihil audiet?

#### §. VII.

Modo præfato §. VI. docere possumus surdo a nativitate &c. Alphabetum, compositionem litterarum, modum legendi, loquendi, scribendi, religionem &c.

SCHOL. Cum vocalium pronunciatio diversas oris requirat aperturas, dictus stylus in extremis diversa crassitie esse debet; ergo aut plures adsint, aut annuli depresso extremitatibus super inducendi.

#### §. VIII.

## §. VIII.

Si tali ratione surdus meus edoctus §. VII. opus tantum habet bacillo, quando quis quid ipsi dicere vult, ac sine eo respondere potest; multa quoque ex tractu oris colligere poterit; omnia vero, si modum scribendi intelligit, ac ipsi præscribimus, quæ volamus.

## §. IX.

Patet ex §. VII. hujus Prodromi utilitas. Cum alias talis homo bruti instar est respectu cognitionis de Deo, & in vita communi valde molestus. Conf. & infra §. XVI.

## §. X.

Illi, qui auditum casu amisere, magnam quoque exinde recipiunt utilitatem; nam si scribere non edoceti sunt, & auditus eorum plane est deperditus, cum surdis a nativitate pari passu ambulant, modo ut dicere possint, quæ sibi velint, & cognitionem habeant, quam habuerunt, de Deo, licet & hæc cum tempore obsolescent. Si vero quodammodo adhuc audiunt, multo facilius leniusque per tale instrumentum sermones cum iis cædi poterunt.

## §. XI.

Surdi, & a nativitate, & casu demum facti, hoc modo doceri nequeunt, si nervus acusticus in principio est obstructus, qui casus raro, si unquam, existet. In hemiplexia alter quidem dicto vitio laborare potest,

B

interim

interim tamen alter adhuc est integer. Similiter quoque auditus per dentes paulo difficilior erit, si vitium in labyrintho residet, quod tamen raro erit, per Schol. I. §. VI. & si sit, attamen non omnis auditus cessabit, dummodo nervus acusticus in principio sit integer, praesertim si trementem aerem auges per tubam acust. stentor. de qua infra.

## §. XII.

Dissectione seu separatione frenuli linguæ in plurimis infantum non est opus; nam lingua nostra per se & sua natura jam satis apta est ad loquendum; per princ. Med. probabilitas itaque summa, si non certitudo, in omnibus surdis a nativitate vitium linguæ non esse timendum, licet ea paulo gravior nobis videatur; nam hoc inde fit, quia 1.) lingua eorum per modificationem vocum non est exercitata & 2.) ipsi sonus proferunt non modificatos, cuius causa est, quia modificationem sonum audire, consequenter imitari nequeunt.

## §. XIII.

Surdi ex parte, & stupidi, attenturi, ore aperte audiunt; vulgare quoque experimentum est, quod, cum furcam in extremis furcatis percussam, altera extremitate, qua comprehenditur, dentibus admovemus, eleganter sonum percipiamus. Modus fiendi patet ex §. VI.

SCHOL. Hac occasione mihi quoque in mentem venit refutatio erroris vulgaris physiologorum, docent

docent quippe, surdos per tubam Eustachii audire  
§. 13. quæ est canalis in ore posteriori ac superio-  
ri lateraliter ad uvulam, tendens versus cava-  
tem tympani, stylum tenuiorem admittens. Sed  
1.) tuba dicta in ore est membranacea, ergo mol-  
lis, ergo sonus ac tonus non rite per ipsius parie-  
tes propagatur, §. 2. 2) Collapsa, ergo per aper-  
turam exiguum jamjam per se, intrare non potest.  
Aer; 3.) ex adhæsione parum quoque aeris, vel  
plane nihil, intrabit, quod aer respectu tubæ hu-  
jus nimis est specifice levior, per princip. phys.  
4) posito, sed non concesso, tubam esse aper-  
tam; orificium nimis angustum habet, ergo pa-  
rum aeris commoti intrat, ergo parva i. e. non  
sensibilis perceptio inde producitur: nam uti to-  
ta superficies auris externæ, quæ sat magna, quia  
tortuosa, (per princip. Geometr.) ad orificium tu-  
bæ sat exiguum; sic utraque ad se invicem erit  
perceptio, i. e. uti aliqua ad nullam, i. e. non sen-  
sibilem. Qui contra hæc disputare vult, sumat,  
quæso, quod tamen cum pace ipsius dixerim, ba-  
cillum, indet ori surdi a nativitate, ita tamen ut  
dentes ne contingat, videatque num quid percipi-  
at? superficiem vero omnium dentium si com-  
putamus, sat magna erit. per princip. Geom. Si  
tamen canalis sit erosus, ut caro absit, posset pau-  
lo major, quam nulla, per eam esse perceptio.

SCHOL. Per principia Medica constat, tuba Eusta-  
chii obstruēta, homines surdescere; cum vero

B 2

hic

hic nervus acusticus plane non sit latus; per modum praefatum §. VI. & talibus succurri potest. Num forte surdus a nativitate & inde talis esse potest, tantum quod tuba Eustachii sit obstructa, vel præternaturaliter deficiens, vel concreta, aure & interna & externa illæsa? Veram horum phænomenorum rationem, quære in vero tubæ Eustachianæ usu, qui est communicatio aeris auris internæ cum externo, & effluxus humili sordidieque in aure interna secreti, scil. ut calore majori præsente, aer magis elasticus exire, & frigore præsente, iterum intrare possit, pro rita membranæ tympani tensione.

## §. XIV.

De ulteriori perfectione hujus methodi sollicitus ero, uti promisi in præfatione, ac frontispicium hujus scripti ostendit. Corollarii loco subjungam quasdam hac de re meditationes.

## §. XV.

Mihi non est dubium, quin res adhuc facilius sic succedat: tubam acusticam, ex materia indicata §. VI. paratam, ponat surdus noster inter dentes; & docens intra tubam tantum loqui debet, sicque multo facilius ac clarius informare poterit; nam quædam litteræ obsunt, quo minus omnia requisita §. VI. observari queant, e. g. B. hic enim necessario labia bacillo applicari debent, quamquam nec ideo bacillus meus est rejiciendus, sed & per illam talia docere possumus

§. VI.

§. VI. Schol. 2.) Si ex aere ob paupertatem comparare nequeunt tubam, saltem orificium ipsius constet ex annulo atque stylo æneo.

SCHOL. Nec huic rei experientia contrariatur, nam in locum tubæ acutæ in fundibulum parvum, e lamina ferrea confectum, quali ordinario in culina utuntur, ad interim substitui, quasi nihil sperans, & tamen ex sententia successit.

### §. XVI.

Si cancellis sese condit, tali modo (forte) audiet concionatorem in templo, hic tamen articulate tarde quo loqui deberet, per princ. phys. num & per tubam dictam chorum musicum audiet? Certe tonos Clavichordii, si ipsius resonanti admovet stylum laudatum. Hoc experimenti jam est notum atque vulgare in non surdis, quando aures obturant manibus, ac baculum vel regulam inter dentes detentam resonanti dicti instrumenti applicant.

SCHOL. Extra omnem quoque dubitationis aleam positum, surdum ex parte, qui casu talis factus, audire posse hac ratione dictum virum & dictum chorum.

### §. XVII.

Num etiam per tubam stentor. (Sprach-Röhr) docens docere poterit surdum, ut hic nihil inter dentes habeat, tantum ore aperto; sed sonus tantum per aerem commotum immediate ad dentes veniat? Certe

B 3

nullus

nullus dubito, præsertim si parum ab ore surdi remota tuba acustica, cuius orificium, dentes spectans, sed tamen non contingens, paulo sit latius, pro meliori aeris commoti ad omnes dentes diffusione, adhuc in subsidium vocatur.

## §. XVIII.

Num intelliget surdus, quæ docens ipsius in campanam libere suspensam loquitur, si ille stylum æneum inter dentes tenet, ac campanæ admovet?

## §. XIX:

Faciliora in docendo difficilioribus sunt præmitenda.

## §. XX.

Convenit quoque ob vocis similitudinem, ut sexus nobilior, nobiliorem, sequior sequiorem doceat; attamen nec hoc necessario requiritur Schol. 2.) §. VI.

## §. XXI.

Sunto b. L. quæ tibi Prodromus hicce attulit;

DEO VERO SIT LAVS ET GLORIA  
IN EXCELSIS.



APPEN-

## APPENDIX.

**O**mnia in Prodromo meo proposita, propria meditatione, tanquam mihi incognita, ex principiis cognitis erui, nisi contrarium simul adjeccerim, ut factum est sub finem §. XVI. ergo respectu mei sunt inventa; num etiam respectu aliorum? neadum est tempus dandi responsionem, quoniam fere hodie nihil amplius dici potest, quod non dictum sit prius. Interim tamen ego in Academiis celeberrimis gavisus sum Doctoribus Celeberrimis, speciatim de hac materia, de methodo Ammanniana puta, & usu tubae Euastachianæ sermones cædentes; ast semper altum methodi meæ fuit silentium. Viros quoque per quam doctos ac in historia literaria versatissimos consului, num sciant, methodum meam jam antea fuisse cognitam? uno vero ore omnes negabant. Ostendit mihi quis loca quædam, ubi mentio fit, quod sonus propagetur per dentes; sed aliud est: sonus propagatur per dentes; aliud: sonus tanta quantitate per dentes propagari potest, ut auditus sint instar, & qua via sit incedendum? Et in primis aliud est: surdi a nativitate per dentes doceri possunt linquam, & quomodo? Principium illud, quod sonus propagetur per dentes, jam satis est antiquum, certe æque vetus ac experimenta duo ista vulgaria, §. XIII. & XVI. sub finem, dicta; & Physica. Ex cognito vero principio rem incognitam concludere, dicitur invenire. Ergo si quis demonstratum it, ante me jam alium tale quid statuisse, ostendere mihi debet: 1) surdum, 2) a nativitate, 3) doceri posse lin-

guam,


quam, 4) per auditum, 5) per dentes excitatum; jam ab alio scriptum esse. Quæ quinque requisita mihi tam cito non ostendet: & fingam ad interim fore; nunquam mihi simul monstrabit vias descriptas, quas ego paravi. Nunc plane fingam ab impossibili; monstrat mihi quis omnia, quæ in Prodromo meo reperiuntur, eodem ordine; quid tum? num ideo sum censendus? num inde formari poterit contra Diss. inauguralem argumentum? Minime; nam dissertatio talis est specimen eruditionis, quod quis pro gradu publice defendit: prius præstiti, & posterius bono cum Deo præstam; Ergo meum feci. Nec unquam posui nomen *Inventi*; neque fuit de tempore. Hæc sunt, b. L. quæ adhuc appendicis loco addere volui, ne cui similis scrupulus injiciatur. Vale,  
mihique fave!



01 A 6576



TAOG  
S6,



# Farbkarte #13

B.I.G.



# OMVS METHODI R D O S A V I T A T E DI AVDIENTES OQVENTES

QVEM  
VCE DEO  
SV ET AVCTORATE  
ORDINIS MEDICORVM  
ET PERANTIQA HIERANA  
ADV DOCTORIS  
IIIS IN ARTE MEDICA  
TIME IMPETRANDIS  
NIS IN AVGVRALIS LOCO  
AC PVBLICE DEFENDET  
CTOBR. 4. M DCC XXXIX.  
PAVLVS BAVMER  
TISWINDA - FRANCVS.

R FORDIAE  
CHRISTOPHORI HERINGII  
ACAD. TYPOGR.